



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1635. usque ad annum 1643

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1779**

**VD18 9011888X**

§. 28. Principum, atque illustrium obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67406)

Sæc. XVII. patria Romanus Cardinalis Presbyter  
A. C. 1641. tit. S. Marcelli. VI. Hieronymus Ve-  
 rospius itidem Romanus Presbyter Car-  
 dinalis tit. S. Agnetis in Circo Ago-  
 nali. VII. Vincentius Maculanus Ord.  
 FF. Prædicatorum, Presbyter Cardi-  
 nalis tit. S. Clementis. VIII. Fran-  
 ciscus Perettus Montaltus, patria Ro-  
 manus, Cardinalis Presbyter tit. S.  
 Hieronymi. Hunc sicut & sequentes  
 duos a Cæsare, Hispano & Gallo Regi-  
 bus nominatos Pontifex, eoquod non  
 indigenæ essent, promovere recusabat,  
 postquam vero Odoardus Parmæ Dux  
 cum fœderatis Principibus Pontificias  
 ditiones invaserat, Papa horum Regum  
 patrociniū, favoremque sibi conciliatu-  
 rus, tandem illorum votis cessit. IX.  
 Julius Mazarinus in oppido Piscinæ na-  
 tus, Cardinalis sine titulo. X. Ray-  
 naldus Estensis, patria Mutinensis Car-  
 dinalis Diaconus tit. S. Nicolai in Car-  
 cere. XI. Julius Gabriellus Romanus,  
 Cardinalis Diaconus tit. S. Agathæ.  
 XII. Virginius Ursinus pariter Roma-  
 nus, Diaconus Cardinalis tit. S. Mariæ  
 in Porticu,

## §. XXVIII.

*Principum, atque illustrium obitus.*

Inter

Inter Principes hoc anno defunctos merito recensendus venit Magnus Ordinis Teutonici Magister Joannes Casparus ex illustrissima Stadianorum familia ortus, excitatae prudentiae Princeps, atque ex intimo Caesaris consilio. Die autem trigesima Aprilis decessit Georgius Dux Brunsvico - Luneburgensis, cujus Vidua insuperhabitis Saxoniae Electoris sollicitationibus, & Piccolomini minis Hildesheimii novum foedus cum Gallis Suecisque contra Austriacos erexit; Successorem habuit Ducem Christianum Filium suum. Obiit etiam Dresdae die decima octava Aprilis sexagenarius Joannes Georgius de Arnheim Caesarei, ac Saxonici exercitus Bellidux longe celebratissimus.

Sæc. XVII.  
A. C. 1641.

Barre Hist.  
d' Allemagn.  
tom.

§. XXIX.

*Quaedam Urbani VIII. Pontificis  
Constitutiones.*

Præter Bullam contra Jansenii librum editam Urbanus VIII. Pontifex hoc anno alias quoque Constitutiones promulgavit: & primo quidem die vigesima secunda Martii, ad importunas preces FF. Laicorum Ordinis S. Francisci de Paula, declaravit, quod deinceps hi Fratres in admissione Novitiorum suffragium ferrent. Præcepit quoque

Bullar.  
Magn. Ur-  
ban. Const.  
269.

Pp 5

idem